

59

TERRAE MOTVS

Anni M. DCI.

Septemb. VIII.

a

GABRIELE GERBERO,

Pastore Bulacensi, carmine descriptus.

AD CL. V. DN. IO.

IACOBVM FRISIUM S.S.

Theologiæ in Schola Ti-

gurina Professore, Basilicæ

Ædilem,

DN, summè observandum.

TIGVRI,

Anno M. DCII.

Terræ motus Anni M.DCl.

Septemb. VIII.

ad

CL.V.DN.IO.IACOBVM

FRISIVM S. S. Theologiæ

in Schola Tigurina Professore, m,
Basilicæ Ædilem,

DN. summè obseruandum.



AM satis motæ tremuere terræ,
Iam metûs missum satis undiqvâq.
Veda cùm cælo tacitis silente

Cynthia bigis

*Vidit excitos trepidare somno
Ad soli tam terrificum trémorem,
Atq. mugitum, referamne rupes*

Monte revulsas

*In lacum, ritu jaculi, incidisse?
Humidam dicam vitreisne gentem
Sedibus pulsam? & jacuisse sicco*

Litore pisces?

Ædium fastigia decidisse?

Qui pauor mortalia corda tantum

Stravit, ut nostro procul hinc faceffant
Gaudia mundo.

Non ego augusti tacitos relinquam
Fornices templi Figurina in urbe
Haud fatifcentes leviter, sed arcet
Iova ruinam.

Interim ædilis jubet expeditos
Frisius fabros, opus ut nouandum
Urgeant: templum meliore forma hinc
Inde renidet.

Laxat irarum Altitonans habenas,
Cùm quatit terras, animosq; ventis
Addit, ut secum per inane magnum
Omnia verrant;

Vna quæ cælum pelago ruina
Misceat, pœnas sceleratus orbis
Vt luat, grex & caput ut piorum
Tollat in altum.

Irruit sicca Boreas ab Arcto,
Antequàm tellus quateretur, inde
Sæva gesserunt specubus subimis
Prælia venti.

En toris nos ilicet exilimus,
Tendimus cæloq; manus supinas,
Te fatigamus prece, temperas qui
Sidera nutu,

Qui tribus totum digitis coërces
Pulverem terræ, tenui bilance
Ponderas Alpes, mare quicq; vastum
Cogis in urnam,

Summe rex parcas, veniam precamur,
Gratiâ fulci bone res ruentis
Vrbis ô custos, bonitate nostrum
Vince furorem.

Læsa majestas tua si repositat
A malis penas meritas, quis iræ est
Par tuæ? Sed tu scelus expiandi
Magne dedisti

Filio partes: oculos in illum
Victimam figas: lavit ipse nostras
Agnus in ligno crucis immolatus
Sanguine labes.

Parce submissis: age, stringe ferrum
In Schythas ultor, jace in Ottomannum,
(Qui tuum calcat pede natum Iesum)
Tela tyrannum.

Et piget nos, & pudet ante actæ
Per nefas vitæ: damus en retrosum
Vela: mens nobis melior reditq; in
Pectora sensus.

Nube non nostrum Deus occupamus
Crimen; humanæ tibi clariores

Mentis apparent penitus recessus
Lampade Solis.

Hos ama Rex ô vitijs iniquos:
Spiritu sancto Pater hos obarma:
Ille secessus tibi præter omnes

Rideat aulas.

Virgines, matres, iuvenes, senesq;
Colla consulto moniti Senatus
Subdimus, vindex tuus ut repente

Concidat ignis.

Ad sacras ædes properè fluemus,
Fervidi zelo, sine fraude, verbum
Nos tuum condensi humeris utraq;
Aure bibemus.

Ebrium morem è medio auferemus:
Tu modum cernes positum choreis,
Et dies post hac tibi ritè festos

Numen agemus.

Quisquis in ludo veneris procacem
Egit ætatem, veneris relinquet
Castramutatus nivei & pudoris

Signa sequetur.

Qui dolosè ante hac cumulavit aurum
Fænore infamis, studet emulari
Hospitem Christi male parta cui vis

Restituentem.

Quicquid

Quicquid admissum sceleris, profanet
Quod tuum nomen, bone IOV A Cauro
Frigido da ferre, ubi mugit aspra

Bosphorus vnda.

Est valedictum tibi Averne: monstro
Hercules qui vis tibi Christianus
Imminet victor fide, & ense verbi,
Et prece casta.

Ipsē prospectans Pater ex olympo
Exitum pugnae dabit, ac triumpho
Nobili in vectos hederaq; cinctos
Inferet astris.

T. Rever.

observantiss.

Gabriel Gerberus.



T. Roper

oblatum

Gabriel Gerdanus